

## ETYMA GRAECA

ἵπος

„drückendes Gewicht“, ἵπῳ „drücke, presse“, ἵπτομαι „unterdrücke“ cum voce hitt. *aimpa*- c. „Last“ (Friedrich, Heth. Wb. 17) et *impa(n?)*- c. vel n. (?) „id.“ (ibid. 82) coniungi potest. Hitt. *-ai-* graecae *i-* longae eodem modo respondet atque in αἶκ(λον) et verbo lat. *īc*(ō, *-ere*) (Pokorny 15); cf. radicem *\*ai-* „worauf eindringen, treiben, überwältigen, kränken“, quae in voce scr. *īti-* „Plage, Not“ occurrere videtur (ibid. 10). Porro *-m-* in vocibus hitt. *aimpa-*, *impa(n)-* obvium eodem modo infixum est atque in rad. *\*aidh-* „brennen, leuchten“ (αἶθω), *\*idh-*, *\*i-n-dh-*, quae forma in alb. geg. *idhune*, tosc. *idhētē* „bitter etc.“ invenitur (Pokorny 11 s.). Etiam rad. *\*aig-* „verstimmt, unwirsch, krank“ formam *\*ing-* obtinet, cf. lat. *aeger* cum lit. *ingis* „Faulenzer“, v. slav. *jeǰza* „Krankheit“, slov. *jeza* „Zorn“ (ibid. 13). Denique ut *\*ai-dh-* ex rad. *\*ai-* „brennen, leuchten“ derivatum videtur (ibid. 12), ita *\*aip-* ex *\*ai-* „worauf eindringen“, quod supra commemoravimus, pendere verisimile est. Toch. *aip-* B „bedecken“, A *ep-* (Krause, Westtoch. Gramm. 226) his vocibus propinquum videtur.

κ τ η δ ὶ ν

Vox *fibras ligni* designat. Praeterea adiectiva εὐκλήδων, εὐκτέανος „fissilis“ inveniuntur, nam lignum per *fibras* facillime finditur. *-κτεανος* e *\*κτεF-ανος* natum est, igitur etiam *κτηδών* e *\*κτεF-η-δών* ut *κληδών* e *\*κλεF-η-δών* (Bois.) factum est.

Atqui in vase antiquo quodam (Schwyzer I 326<sup>1</sup>) Φιλοσόκητης legitur pro *-κήτηης*. Inde efficitur *-κτ-* et *-σκ-* alternare. Quapropter etiam radicem *\*skēu-* „tondere“ (Walde—Pokorny II 552) formam *\*kteu-* induere potuisse concedemus. Quod ad notionem pertinet, verbum *κείζω* „findo“, e rad. *\*kes-* „tondere“ derivatum, comparari potest.

λίθος, πέτρα

Lapidem ab eo, quod volvendo *politus* est, nominari posse vocibus *ψήφος*, e rad. *\*bhsā-* deducta (Bois. s. v.), et *χέραδος*

„Geröll, Kies“, e rad. \*gher- „hart worüber streichen, reiben“ orta (Pokorny 439, 2), ostenditur. Igitur λίθος a rad. \*lei-/\*li- „worüberhinschleifen oder -streichen“ (Walde—P. II 389) et suffixo -θο- ut in vocibus βρόχος, γνάθος etc. (Chantraine, Formation des noms 367) fluxisse videtur. Ex eadem radice facta est vox λισσός (sc. πέτρα) „bare, smooth cliff“ (LSJ) et adi. λισσός „smooth“, quod in Od. 3, 293 legitur: λισσὴ αἰπεῖά τε . . . πέτρῃ. Suffixi -σός origo plane non apparet.

Lapis praeterea πέτρα dicitur, quae vox ut λεπρός: λέπρα, ἐχθρός: ἐχθρα suffixi -rā ope formata videtur. Propterea vocem e radice \*pet- „ausbreiten“ (Walde—Pokorny II 18) derivatam iudico. Ut enim πέταλον ex eiusdem radice forma \*petā- deductum „laminam metalli“ (LSJ, BSC) designat, ita πέτρα primitus lapidem *planum* denotare potuit, quod locus Odysseae supra laudatus ostendit. Cf. Buck, Synonyms 51: „A few words for 'rock' are from verbs for 'cut' or 'split', with probable development through a steep 'cliff.'“ *Lapis* vero fissus *laminae* formam habet.

#### μύρσος

κόφινος ὅσα ἔχων, ὃς καὶ ἄριχος Hes. proxime accedit ad vocem etr. *murs* „urna“, quam Cortsen, Glotta 23 (1935), 172 commemorat. Nam *vasa* fictilia antiquitus ita facta esse constat, ut *corbes* argilla illiti coquerentur (Buck, Synonyms 623: „Lat. *fidelia* 'earthen jar', as orig. a woven basket covered with clay“).

Porro nomina *vasorum* ad naturam *loci concavi* denotandam adhiberi solent, cf. slov. *kotel* — *kotlina*, germ. *Mulde* „baquet, auge; vallon“ et ea, quae J. Hubschmid, Sardische Studien (Bern 1953), 44 nuper attulit, ut *batch* „cuve; terrain en forme de cuve“, *gava* „galleda; torrentera, barranc“, \**nāva* „vase, vaisseau; vallon“. Itaque cum voce μύρσος „corbis“ optime congruit vox graeca hodierna dialecti epiroticae μούρσα „fossa“, quam Vasmer, Osteuropäische Ortsnamen (Dorpat 1921), 10 s. (v. A. Mayer, Glotta 24, 180) notavit et propter -ov- Illyrii tribuit. Idem nomen oppidi *Mursae*, quod hodie Osijek appellatur, cum voce μούρσα coniunctum esse vult. Sed cum oppidum non in fossa vel valle, sed in loco paulo edito situm sit, A. Mayer l. l. a Vasmero dissentit.

Ljubljana.

M. Grošelj.